ſcriptæ, vel per pragmaticam [1] ſanctionem ab initio datæ, eidem novo Codici propter utilitatem ſanctionis inſertæ fuerunt. §. 3. Hæc igitur ad veſtram notitiam ferre properavimus, ut ſciatis quanta nos diuturna ſuper rerum communi utilitate cura ſollicitet, ſtudentes certas & indubitatas, & in unum codicem collectas eſſe de cætero conſtitutiones: ut ex eo tantummodo ſub felici noſtro nomine nuncupando Codice, recitatio conſtitutionum in omnibus ad citiores litium deciſiones fiat judiciis. Datum Idib. Febr. CP. DN. JUSTINIANO PP. A. II. CONS. An. Chriſti 528.

DE JUSTINIANEO [2] CODICE CONFIRMANDO.

Imperator JUSTINIANUS *Pius, felix, inclytus, victor ac triumphator, ſemper Auguſtus, Mennæ præfecto prætorio, expræfecto hujus almæ Urbis CP. ac Patricio.*

SUmma reipublicæ tuitio de ſtirpe duarum rerum, armorum [3] ſcilicet, atque legum veniens, vimque ſuam exinde muniens, felix Romanorum genus omnibus anteponi nationibus, omnibusque gentibus dominari tam præteritis effecit temporibus, quam Deo propitio in æternum efficiet: iſtorum etenim alterum alterius auxilio ſemper eguit: & tam militaris res legibus in tuto collocata eſt, quam ipſæ leges armorum præſidio ſervatæ ſunt. Merito igitur ad primam communium rerum ſuſtentationem noſtram ſententiam, & mentem laboresque noſtros referentes, militaria [4] quidem agmina multiplicibus, & omnem providentiam continentibus modis correximus: & tam veteribus ad meliorem ſtatum brevi tempore reductis, quam novis non ſolum exquiſitis, ſed etiam recta diſpoſitione noſtri nominis, ſine novis expenſis publicis conſtitutis, primo ſervando poſita [5], deinde nova [6] ponendo, firmiſſima ſubjectis effecimus. §. 1. Sed cum ſit neceſſarium multitudinem conſtitutionum tam in [7] tribus veteribus Codicibus relatarum, quam poſt earum confectionem poſterioribus temporibus adjectarum, ad brevitatem reducendo, caliginem earum rectis judicum definitionibus inſidiantem penitus extirpare: ad hoc commune præſtandum beneficium Deo præſule prono animo nos dedimus: & electis virisglorioſiſſimis, tam doctrina legum, quam experientia rerum, ſtudioque reipublicæ indefeſſo, & laudabili propoſito pollentibus, ſub certis finibus magnum laborem commiſimus: per quem, tam trium veterum, Gregoriani, Hermogeniani, atque Theodoſiani codicum conſtitutiones, quam plurimas alias poſt eosdem codices a Theodoſio divinæ memoriæ, cæterisque poſt eum retro principibus, a noſtra etiam clementia poſitas in unum codicem felici noſtro vocabulo nuncupandum colligi præcepimus. Tollendis quidem tam præfationibus nullum ſuffragium ſanctionibus conferentibus [8], quam contrariis conſtitutionibus, quæ poſteriore promulgatione vacuatæ ſunt: ſimilibus etiam; præter eas, quæ eadem pene ſanciendo, diviſionem juris aliquam facere noſcuntur, ex qua dividendo vetera novum aliquid naſci videtur, multis inſuper aliis ad rectam hujus Codicis compoſitionem pertinentibus, iisdem prudentiſſimis viris a noſtro numine mandatis: & noſtro ſtudio pro republica inſtituto, ſuum præſidium Deus omnipotens annuit. §. 2. Ad iſtum enim laborem, & tanti operis conſummationem electi, vir excellentiſſimus exquæſtore noſtri palatii, conſularis atque patricius *Joannes*: & vir ſublimiſſimus expræfecto prætorio conſularis atque patricius *Leontius*: vir quoque eminentiſſimus magiſter militum, conſularis atque patricius, *Phocas*: etiam vir excellentiſſimus expræfecto prætorio per orientem, & patricius, & nunc præfectus prætorio per Illyricum, *Baſilides*: & vir glorioſiſſimus quæſtor ſacri noſtri palatii, & exconſule *Thomas*, imo & vir magnificus magiſteria [9] dignitate inter agentes decoratus, *Tribonianus*: & vir illuſtris comes ſacrarum largitionum inter agentes, & magiſter [10] ſcrinii, & libellorum, & ſacrarum cognitionum, *Conſtantinus*: & vir illuſtris exmagiſtro, & juris doctor in hac alma urbe *Theophilus*: viri etiam diſertiſſimi togati ampliſſimi fori tuæ ſublimitatis *Dioſcorus* atque *Præſentinus* omnia, quæ eis mandavimus, cum ſedula & pervigili induſtria, moderataque digeſtione, cum Dei auxilio ad proſperum tulerunt terminum, & eundem novum Juſtinianeum [11] Codicem nobis obtulerunt ita compoſitum, ut & rebus profuturus eſſet communibus, & noſtro conveniſſet imperio. §. 3. Hunc igitur in æternum valiturum judicio tui culminis intimare perſpeximus, ut ſciant omnes tam litigatores, quam diſertiſſimi advocati, nullatenus eis licere de cætero conſtitutiones ex veteribus tribus codicibus, quorum jam mentio facta eſt, vel ex iis, quæ novellæ conſtitutiones ad præſens tempus vocabantur, in cognitionalibus recitare certaminibus, ſed ſolum eidem noſtro Codici inſertis conſtitutionibus neceſſe eſſe uti [12], falſi crimini ſubdendis his, qui contra hoc facere auſi fuerint: cum ſufficiat earundem conſtitutionum noſtri Codicis recitatio, adjectis etiam veterum juris interpretatorum laboribus ad omnes dirimendas lites: nullaque dubitatione emergenda, vel eo quod ſine [13] die & conſule quædam compoſitæ ſunt, vel quod ad certas perſonas reſcriptæ ſunt: cum omnes generalium conſtitutionum vim obtinere proculdubio eſt, ſed & ſi quæ earum conſtitutionum detractis vel additis, vel permutatis certis verbis (quod & ipſum præfatis excellentiſſimis viris ſpecialiter permiſimus) compoſitæ ſunt: nullis concedimus ex libris veterum juris interpretatorum aliter eas habentes recitare, ſed ſolam juris interpretatorum ſententiam commendare: ut tunc teneat, cum minime adverſetur ejusdem noſtri Codicis conſtitutionibus.

§. 4. Si quæ vero pragmaticæ [14] ſanctiones, quæ minime in eodem noſtro Codice receptæ ſunt, civitatibus forte, vel corporibus, vel ſcholis, vel ſcriniis, vel officiis, vel alicui perſonæ impertitæ ſunt: eas ſiquidem aliquod privilegium ſpeciali beneficio indulgent, omni modo ratas manere: ſi vero pro certis capitulis factæ ſunt: tunc tenere cum nulli noſtri Codicis adverſantur conſtitutioni, præcipimus. Sed & ſi qua regeſta [15] in tui culminis judicio, vel in aliis judiciis civilibus, vel militaribus, vel apud principia numerorum pro publicis expenſis, vel quibuscunque titulis ad publicum pertinentibus poſita ſunt: ea etiam prout communis rei commoditas exigit, firma eſſe cenſemus. §. 5. Illuſtris igitur & magnifica auctoritas tua pro innato ſibi circa rempublicam noſtrasque diſpoſitiones explendas ſtudio, ad omnium populorum notitiam eundem Codicem edictis ex more propoſitis pervenire faciat: ipſo etiam textu Codicis in ſingulas provincias noſtro ſubjectas imperio, cum noſtra divina ſubnotatione mittendo, ut eo modo ad omnium notitiam ejusdem noſtri Codicis conſtitutiones valeant pervenire, & ut extantibus feſtis diebus, id eſt, ex die ſextodecimo Kalendarum Maji præſentis ſeptimæ [16] indictionis, conſulatu Decii viri clariſſimi recitationes conſtitutionum ex eodem noſtro Cod. fiant. Dat. 7. Id. Apr. CP. DECIO V. C. CONS. 529.

DE EMENDATIONE CODICIS DOMINI JUSTINIANI ET SECUNDA [17] EJUS EDITIONE.

Imp. Cæſar, Flavius, Juſtinianus, Alamanicus, Gotthicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, pius, felix, inclytus, victor ac triumphator, ſemper Auguſtus, Senatui urbis Conſtantinopolitanæ, S.

COrdi nobis eſt, patres conſcripti, ſemper noſtri animi curas rebus communibus avidiſſime impendere, ut nihil a nobis inceptum, imperfectum relinquatur. Igitur in primordio noſtri imperii ſacratiſſimas conſtitutiones, quæ in diverſa volumina fuerant diſperſæ, & quamplurima ſimilitudine, necnon diverſitate vacillabant, in unum corpus colligere, omnique vitio purgare propoſuimus: & hoc jam per viros excellos & facundiſſimos perfectum eſt, & a nobis poſtea confirmatum: quod geminæ conſtitutiones noſtræ, quæ ante poſitæ ſunt, oſtendunt. §. 1. Poſtea vero cum vetus jus conſiderandum recepimus, tam quinquaginta [18] deciſiones fecimus, quam alias ad commodum propoſiti operis pertinentes plurimas conſtitutiones promulgavimus: quibus maximus antiquarum legum articulus emendatus & coarctatus eſt, omneque jus antiquum ſupervacua prolixitate liberum atque enucleatum in noſtris Inſtitutionibus & Digeſtis reddidimus. §. 2. Sed cum novellæ [19] noſtræ tam deciſiones [20], quam conſtitutiones, quæ poſt noſtri Codicis confectionem latæ ſunt, extra corpus ejusdem Codicis divagabantur, & noſtram providentiam, noſtrumque conſilium exigere videbantur: quippe cum earum quædam ex emerſis poſtea factis aliquam meliore conſilio permutationem vel emendationem deſiderabant: neceſſarium nobis viſum eſt per [21] *Tribonianum* virum excellſum magiſtrum exquæſtore & exconſule legitimum operis noſtri miniſtrum, necnon virum magnificum quæſtorem & Berytienſium legum Doctorem *Dorotheum*, *Mennam* inſuper & *Conſtantinum* & *Joannem* viros eloquentiſſimos togatos fori ampliſſimæ ſedis, easdem conſtitutiones noſtras decerpere, & in ſingula diſcretas capitula, ad perfectarum conſtitutionum ſoliditatem competentibus ſupponere titulis, & prioribus conſtitutionibus eas adgregare. §. 3. Supradictis itaque itaque magnificis & prudentiſſimis viris permiſimus hæc omnia facere: & ſi qua emendatione opus foret, hanc facerent non titubante animo, ſed noſtra auctoritate freti: conſtitutiones vero ſuperfluas, vel ex poſterioribus ſanctionibus noſtris jam vacuatas, vel ſi quæ ſimiles vel contrariæ invenirentur, circumducere, & a proprii Codicis congregatione ſeparare: & tam imperfectas replere, quam nocte obſcuritatis obductas, nova elimationis luce detegere: ut undique non ſolum Inſtitutionum, & Digeſtorum via dilucida & aperta pateat, ſed etiam conſtitutionum noſtri Codicis plenum jubar omnibus clareat: nulla penitus nec ſimili, nec diverſa, nec inuſitata relicta [conſtitutione:] cum nemini venit in dubium, quod repetita prælectio probavit, hoc ſatis validum, ſatisque eſſe formoſum. In antiquis etenim libris non ſolum primas editiones, ſed etiam ſecundas (quas repetitas [22] prælectiones veteres nominabant) ſubſecutas eſſe invenimus: quod ex libris Ulpiani viri prudentiſſimi ad Sabinum ſcriptis promptum erat quærentibus reperire. §. 4. His igitur omnibus ex noſtra confectis ſententia, commemoratus Juſtinianeus Codex a prædictis glorioſiſſimis & facundiſſimis viris purgatus & candidus factus, omnibus ex noſtra juſſione & circumductis, & additis, & repletis, necnon transformatis, nobis oblatus eſt: & juſſimus (in) ſecundo eum ex integro conſcribi, non ex priore compoſitione, ſed ex repetita prælectione: & eum noſtri numinis auctoritate nitentem in omnibus judiciis ſolum, quantum ad divales conſtitutiones pertinet, frequentari ex die quarto Kal. Januarii, quarti noſtri feliciſſimi conſulatus, & Paulini viri clariſſimi: nulla alia extra corpus ejusdem Codicis conſtitutione legenda: niſi poſtea varia rerum natura aliquid novum creaverit, quod noſtra ſanctione indigeat. Hoc etenim nemini dubium eſt, quod ſi quid in poſterum melius inveniatur: & ad conſtitutionem neceſſario ſit redigendum, hoc a nobis & conſtituatur, & in aliam congregationem referatur: quæ Novellarum nomine conſtitutionum ſignificetur. §. 5. Repetita itaque juſſione nemini in poſterum concedimus, vel ex deciſionibus noſtris, vel ex aliis conſtitutionibus, quas antea fecimus, vel ex prima Juſtinianei Codicis editione, aliquid recitare: ſed quod in præſenti purgato, & renovato Codice noſtro ſcriptum invenitur, hoc tantummodo in omnibus rebus, & judiciis & obtineat, & recitetur, cujus ſcripturam ad ſimilitudinem noſtrarum Inſtitutionum, & Digeſtorum [23] ſine ulla ſignorum dubietate conſcribi juſſimus: ut omne quod a nobis compoſitum eſt, hoc & in ſcriptura, & in ipſa ſanctione purum atque dilucidum clareat: licet ex hac cauſa in ampliorem numerum ſumma hujus Codicis redacta eſt. §. 6. Ut igitur, ſanctiſſimi & florentiſſimi patres, noſtri labores vobis manifeſti fiant, & per omne tempus obtineant: hanc præſentem legem ad frequentiſſimum ordinem veſtrum duximus deſtinandam. Dat. XVI. Kal. Dec. *Conſtantinopoli*, Domino JUSTINIANO, PP. A. IV. & THEODOTO PAULINO Viro Clariſſ. CONSS. 534.

1 Vid. *l. 7. in princ. & §. 1. C. de diverſ. reſcriptis, & pragm. Sanctionib.* 2 Qui & novus etiam dictus eſt *Conſt. ſupr. h. t.* alius ab emendato. J. *de emendat. Cod.* 3 *pr. & §. 1. Inſt. proœm.* 4 De conſtitutionibus ad rem militarem pertinentibus, vid. *tit. 2. C. Theod.* 34. *ad* 50. & 49. *ff. tit.* 16. 17. 18. 5 Al. *leges poſitas.* 6 Al. *novas.* 7 De quibus *conſtit. 1. in pr. ſupr. hic.* 8 Pugnat tamen *l. 74. ff. ad SC. Treb.* Antonini Pii cum *l. 48. ff. de cond. & dem.* Antonini Caracallæ & cum *l. 3. Cod. quando dies leg. l. 49. in princ. ff. de leg.* 1. quæ ſunt Alexandri. 9 Nota de magiſtro inter agentes. 10 Qui & ἀντιγραφεὺς & princeps ſcriniorum dicitur, a Lampridio ſpectabilis, honore comitis ornatus, adſeſſor quodammodo principis, differens a referendario. Utriusque munus in Gallia magiſtri requeſtarum complectuntur. Cujac. *l. 1. C. de magiſtr. Sacr. Scrin.* 11 Et ita decem viri electi ſunt ad compoſitionem veteris codicis Juſtin. 12 *Conſtit. ad ſenatum. infr. §. hac igitur.* 19. & *l. 25. l. ult. ff. l. 4. C. ad l. Cornel. de falſ.* adde *l. 1. ff. de conceſſione.* 13 Vid. *l. 4. C. de diverſ. reſcript.* 14 *l. ult. §. ult. C. de diverſis reſcript.* 15 Vid. in hunc locum Cujac. *obſ.* 37. 16 Indictiones unde dictæ, & quid ſignificent, explicant Beda *c. 48. de natura rerum.* Cujac. *initio tit. Cod. de indictionibus* & Mat. Beroald. 4. *Chronic.* 4. 17 Hac editione hodie utimur. 18 Quæ ex Conſulatu Lampadii & Oreſtis, & ſequentibus dignoſcuntur. 19 Vide quæ ſcripſi ad *Nov. initium.* 20 Harum plerisque jus vetus, quod erat certum, emendavit: illarum vero nonnullis certum fecit, quod erat controverſum. Cujac. *hic.* 21 Quinque viri hic præficiuntur emendationi Codicis Juſtinianei. Decem novo Codici faciendo: ſeptemdecim pandectis: tres inſtitutionibus componendis præfuerunt. 22 Prælectiones erant lectiones, quibus præceptores viva voce aut ſcripto diſcipulis vias diſcendi præmonſtrabant. *Cujac.* idem *hinc* colligit 4. *ad Africanum.* veteres Juriſconſultos variaſſe, & quidem Papinianum, *l. 6. §. 1. ff. de ſerv. export. l. ult. §. 3. C. de furt.* Julianum, *l. 19. in fin. ff. ad SC. Velleianum.* & Scævolam, *l. 25. §. ult. ff. de adq. rer. dom.* 23 Et teſtamentorum, *l. 6. §. ult. ff. de bon. poſſ.* Novell. 107. *c. 2.* non militarium tamen, *l. 41. ff. de milit. teſt.* de notis & ſiglis, vid. Cujac. 3. *obſ.* 3. & 12. *obſ. ult.*

D. JUSTINIANI
SACRATISSIMI PRINCIPIS, PP. A.
CODICIS [1],
REPETITÆ [2] PRÆLECTIONIS [3]
LIBER PRIMUS.
INCIPIT FELICITER.
DE [4] SUMMA [5] TRINITATE, ET FIDE [6] CATHOLICA [7], ET UT [8] NEMO DE EA PUBLICE [9] CONTENDERE [10] AUDEAT.

TITULUS PRIMUS [11].

De una deitate & trinitate. 1. *De nomine eorum, qui veram fidem amplectuntur, & de pœnis hæreticorum.*

1. Imperatorum GRATIAN. VALENTIN. & THEOD. [12] AAA. Edictum ad populum urbis Conſtantinopolitanæ.

CUnctos [13] populos, quos [14] Clementiæ noſtræ regit imperium, in tali [15] volumus religione verſari, quam divum [16] Petrum [17] Apoſtolum tradidiſſe Romanis [18], religio usque adhuc [19] ab ipſo inſinuata declarat: quamque Pontificem Damaſum [20] ſequi claret, & Petrum [21] Alexandriæ Epiſcopum, virum Apoſtolicæ ſanctitatis: hoc eſt, ut ſecundum Apoſtolicam [22] diſciplinam Evangelicamque doctrinam, Patris & Filii & Spiritus ſancti unam deitatem ſub pari [23] majeſtate & ſub pia Trinitate credamus. §. 1. Hanc legem ſequentes, Chriſtianorum Catholicorum [24] nomen jubemus amplecti: reliquos vero dementes [25] veſanosque judicantes, hæretici dogmatis infamiam [26] ſuſtinere [27]: divina [28] primum vindicta, poſt etiam motus [animi] noſtri [29], quem ex cœleſti arbitrio ſumpſerimus, ultione plectendos. Dat. 3. Kal. Mart. *Theſſ.* GRATIANO A. V. & THEODOSIO A. CONSS. 380.

De hæreticorum & fidelium congregationibus. 1. *Summa concilii Nicæni.* 2. *De hæreticis ejiciendis & catholicis epiſcopis eccleſiæ reſtituendis.*

2. Iidem AA. Eutropio Præfecto Prætorio.

NUllus [30] hæreticis miniſteriorum locus [31], nulla ad exercendam animi obſtinatioris [32] dementiam pateat occaſio. Sciant omnes, etiamſi quid ſpeciali quolibet reſcripto per fraudem [33] elicito ab hujusmodi hominum genere impetratum ſit, non valere. Arceantur cunctorum hæreticorum ab illicitis congregationibus turbæ: unius [34] & ſummi Dei nomen ubique celebretur. Nicænæ fidei dudum [35] a majoribus traditæ; & divinæ religionis teſtimonio, atque adſertione firmatæ, obſervantia ſemper manſura teneat. §. 1. Is autem Nicænæ adſertor fidei & Catholicæ religionis verus cultor accipiendus eſt: qui [36] omnipotentem Deum & Chriſtum Filium Dei uno [37] nomine confitetur: Deum [38] de Deo, lumen de lumine: qui Spiritum ſanctum, quem ex ſummo rerum parente [39] & ſperamus & accipimus, negando non violat: apud quem intemeratæ fidei ſenſus viget, & incorruptæ [40] Trinitatis indiviſa [41] ſubſtantia, quæ Græco [42] verbo ὁμουσία [43] recte credentibus dicitur. Hæc profecto nobis magis probanda, hæc veneranda ſunt. §. 2. Qui vero non iisdem inſerviunt; deſinant affectatis dolis alienum veræ religionis nomen aſſumere: & ſuis apertis [44] criminibus denotentur, atque ab omni ſubmoti Eccleſiarum limine penitus arceantur: cum omnes hæreticos illicitas [45] agere inter oppida congregationes vetemus. At ſi quid eruptio factioſa tentaverit, ab ipſis etiam urbium [46] mœnibus exterminato furore propelli jubemus: ut cunctis orthodoxis Epiſcopis, qui Nicænam fidem tenent, Catholicæ Eccleſiæ toto orbe reddantur. Dat. 4. Id. Jan. CP. FL. EUCH. & FL. SYAGRIO CC. COSS. 383.

Præfatio. 1. *De libris Porphyrii contra Chriſtianam religionem.* 2. *De Neſtorianis puniendis.* 3. *De libris Neſtorii & ſimilibus comburendis. De ſynodo Nicæna & Epheſina.* 4. *De Irenæo.* 5. *Epilogus.*

3. [47] Impp. THEODOS. & VALENTIN. AA. Hormisdæ P. P.

DEcere [48] arbitramur noſtrum Imperium, ſubditos noſtros de religione commonefacere: Ita enim & pleniorem adquiri Dei, ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti benignitatem poſſibile eſſe exiſtimamus, ſi quando & nos pro viribus ipſi placere ſtuduerimus, & noſtros ſubditos ad eam rem inſtituerimus. §. 1. Sancimus [igitur,] ut omnia, quæcunque *Porphyrius* [49] ſua pulſus inſania [aut quivis alius] contra religioſum Chriſtianorum cultum conſcripſit, apud quemcunque inventa fuerint, igni [50] mancipentur. Omnia enim provocantia Deum ad iracundiam ſcripta, & pias mentes offendentia, ne ad aures quidem hominum venire volumus. §. 2. Præterea ſancimus, ut qui adfectant impiam *Neſtorii* [51] opinionem, vel nefariam ejus doctrinam [52] ſectantur; ſi Epiſcopi aut Clerici ſint, ab Eccleſiis ejiciantur: ſi laici, anathematizentur, [ſecundum ea, quæ jam a noſtra divinitate ſunt conſtituta:] licentiam habituris orthodoxis, quicunque voluerint, ſecundum noſtram legislationem, absque metu, & damno ipſos propalare & accuſare. §. 3. Quoniam vero pervenit ad pias noſtras aures, quod quidam doctrinas quasdam conſcripſerunt, & ediderunt ambiguas, & non per omnia ac præciſe congruentes expoſitæ orthodoxæ fidei a Sancta Synodo eorum ſanctorum patrum, qui

1 Codicis libri ſunt XII. ad imitationem ut quidam putant XII. *tabul.* continet leges 8124. Cont. *lect. ſubciſiv. cap. 8. n. 2.* Editus eſt 16. Kalend. Decemb. An. Chriſti 533. vel, ut alii volunt, An. 536. *Anſelmo.* 2 Id eſt, ſecundæ editionis. §. 3. *ſupr. de emendatione Codicis Juſtinianei.* 3 *Prælectionis*, i. e. editionis. Eſt etiam *prælectio*, præceptoris lectio. 4 1. *Decret.* 1. & 1. *Sext.* 1. & 1. *Clem.* 1. 5 *Summa Trinitas*, de qua tunc maximæ erant in Eccleſia controverſiæ: vel quæ humanam cognitionem excedit: vel de ſumma Dei unitate in tribus perſonis. Trinitatis epitheton hoc frequens veteribus, ut ἁγία, ſancta diceretur. Athanaſ. *Dialect.* περὶ τῆς ἁγίας τριάδος. Dicitur pia *l. 1. in fin. pr. infr. h. t.* & incorrupta. *l. 2. §. 1. infr.* 6 *L. 16. C. Theod.* 1. id eſt, de præcipuis fidei Catholicæ articulis. 7 *Catholica fides*, quæ ſemper, quæ ubique, quæ apud omnes: quæ tempore, loco, multitudine, antiquitate, univerſitate, & conſenſu, novitati, parti, & paucorum errantium diſſenſioni præfertur. v. Vincentium Lyrinenſem *adverſus profanas novationes.* Eadem Apoſtolica, *l. 1. infr. h. t.* Tert. *de præſcr.* Evangelica, *d. l. 1.* Chriſtiana, *l. 4. infr. h. t.* 1. *Ecloga* 1. *Actor.* 11. *verſ.* 26. Tert. 3. *Apolog.* Euſeb. 5. *Hiſtor.* 1. Orthodoxa, *Eclog. ibid.* & Romana, de quo alibi dicam. 8 *L. 16. C. Theod.* 4. 9 Vid. *l. fin. infr. h. t.* 10 Id eſt, contentioſe diſputare. *d. l.* 4. 11 Vide hic Alciatum & Coraſium, qui ad hunc titulum ex profeſſo ſcripſere. Mod. 12 Hujus legis a Theodoſio latæ meminit hac eadem ſententia Sozomenus 7. *hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* 4. *in fin.* 13 Legem hanc fuſe ſatis enarrat Gothofredus, præter quem tamen adi etiam Mercerium *lib. 2. opin. cap.* 7. & Waltherum *lib. 2. Miſcell. c.* 3. Mod. *Cuncti*, omnes quidem, ſed conjuncti: *omnes*, etiam locis disjuncti. Felt. *in Cuncti.* 14 Relativum hoc antecedens ſuum reſtringit: quippe nec facto, nec jure (ſemper enim liberi quidam populi, liberæque fuerunt civitates, *l. 12. §. 10. ff. de captivis*) Byzantino, vel ſi mavis, Romano imperio univerſus orbis ea tempeſtate paruit: peccant etiam Hiſtoriæ cognitione & jure, qui negant imperia ſuos habuiſſe limites, & occaſus, ſuaque decrementa, vel ob juſtam inter plures coheredes diviſionem, etiam a parentibus teſtamento factam (cujus extat exemplum Conſtantini Magni. 2. *Sozomen.* 32.) vel æquam talionis, & poſtliminii viciſſitudinem: Nullum univerſi orbis perpetuum imperium, niſi Dei. Majora interire poſſunt. Romanum interiturum prædixit Sibylla apud Lactant. 7. *c.* 15. *in fine.* Notum eſt illud Antonini *lib. 4. de vita ſua*, πόσαι δὲ πόλεις ὅλαι, ἵνα τεθνήκασι. Notum eſt & illud, *Latium in Latio requiri*: adde quæ ſcripſi ad *l. 20. ff. quib. mod. uſusfr. amitt.* Nulla denique perpetua, vel ita conſtituta, ut ad orbis interitum usque perdurent. Ideoque negant interpretes, Imperatores jurisdictione controverſa uti poſſe extra territorium. v. Rolandum a Valle 1. *Conſ.* 88. *num.* 22. adde *l. 5. ibi: In Romanum locum. infr. de hæret. & Manich.* 15 Sic alibi ſicut Athanaſ. Theoph. & Cyrillus credebant. *l. 8. infr. de hæret. & Manich.* 16 Divinum, *l. 1. C. Th. de fide Catholica.* 17 Poſſis & ipſum Paulum adjicere, *v. Epiſt. ad Gal. c.* 1. & 2. 18 Apud quos crucifixus fuit. Tertull. *in lib. præſcr.* Felix eccleſia (Romanam intelligit) ubi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur. 19 Usque ad nunc, *C. Theod.* 20 De cujus electione vid. Ammianum, *l.* 27. Ruffin. 2. *c.* 20. Socr. 4. *c.* 24. 21 Succeſſorem Athanaſii 2. Ruffinus 3. 4. Socrates 30. Idem *l. 5. c.* 3. 7. Sozom. 39. Epiph. *l. 2. Tom. 2. hæreſ.* 68. Zonaras *anno* 377. 22 *Apoſtolica diſciplina* dicitur, quæ non modo ſub, ſed & ab ipſis Apoſtolis, aut Apoſtolicis tradita, aut ab iis, qui in eadem fide & conſanguinitate doctrinæ fuerunt. Tert. *lib. de præſcr.* 23 Sub parili. *l. 2. C. Theod. de fide Catholica* ἐν ἴσῃ ἐξουσίᾳ 1. *Eclog.* 1. hinc illa: Rapinam non eſt arbitratus εἶναι ἴσα θεῷ. *Philip.* 2. *v.* 6. ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ θεῷ. *Joan.* 5. *v.* 18. 24 Id eſt, in eo profitentur ſe Chriſtianos Catholicos. 25 Ἀσήμους εἶναι καὶ τιμωρίαν προσδέχεσθαι, infames & pœna affici, Sozom. 7. *c.* 4. 26 *V. Authentic. Gazaros.* & *l. 21. infr. de hæreticis & Manich.* 27 Additur *l. 2. C. Theod. de fide Cathol.* nec eorum conciliabula Eccleſiarum nomen accipere. 28 Adde *l. 2. infr. de reb. cred.* i. e. æterna. Poſſis etiam intelligere cenſuram Eccleſiaſticam. *v. can.* 63. *Canon. Apoſt.* 29 Hujusmodi motus, pro ratione magiſtratuum & provinciarum, ſunt diverſi: de quibus vid. Pap. 1. *Arreſt.* 2. Clarum 5. *ſent. §. hæreſis.* 30 Plenior extat hæc lex in *C. Th. tit. de hæret.* & *eſt lex* 6. *ejus titul. lib.* 16. 31 *l. 3. in fin. l. 5. infr. de hær. & Manich. Nov.* 142. vel *Pontificium*, i. e. poteſtas Eccleſiæ obtinendæ, *l. 3. in fin. C. Theod. de fide Catholica.* vel colligendi (ſe ſc.) copia *l. 4. C. Th. ibid.* & *l. 1. l. 11. l. 26. h. t. lib. tit.* 4. 32 *Hæreſis* quid eſt? *obſtinatioris animi dementia.* 33 Privilegia per fraudem elicita, nullius ſunt momenti. 34 Arianos perſtringit, velut filium diverſum Deum ſtatuentes a Patre. 35 Sub Conſtantino Magno. 36 Nota ἐπιτομὴν ſymboli Nicæni. 37 Id eſt, pariter. 38 Adde Victorini confeſſionem de Trinitate huic plane ſimilem *lib. 1. adverſus Arium*: ſed & formulam fidei apud Socratem, *hiſt. 1. cap.* 5. & Cyrilli epiſtolam ad Neſtorium apud Evagrium 2. *cap.* 18. Hac etiam formula utitur Marius Victor. *l. 2. in fin.* Deum in Deo, lumen in lumine: & Phœbadius *adverſus Arianos*, Deum ex Deo, lumen de lumine. 39 Et filio, nam ab utroque procedit. Datur a patre, *Joan.* 14. *v.* 6. mittitur, *ibid. v.* 26. promittitur, *Luca* 24. *v.* 49. *Act.* 1. *v.* 4. ἐκπορεύεσθαι, *Joan.* 15. *v.* 26. Inde appellatur πνεῦμα θεοῦ. *Rom.* 8. *v.* 14. τοῦ πατρός. *Matth.* 10. *v.* 20. τοῦ ἐγείραντος Ἰησοῦν ἐκ νεκρῶν. *Rom.* 8. *v.* 11. dicitur etiam πνεῦμα υἱοῦ. *Gal.* 4. *v.* 6. Χριστοῦ. *Act.* 1. *Rom.* 8. *v.* 9. 11. & a filio accipere. *Joan.* 16. *v.* 14. 15. Hujusmodi emanatio Theologis *proceſſio* dicitur: voce, meo judicio, inventa non tam ad exprimendum modum emanationis, quam ut modus ille diſtingueretur a generatione filii. Qui plura volet de proceſſione Spiritus ſancti, legat *Hugonem Eterianum.* Ad hunc etiam locum vide quædam apud Cujacium, 12. *obſ.* 26. 40 Incorruptam Trinitatem appellat, quam Proculus, *epiſt. ad Arm.* ἀμέριστον τριάδα dixit. 41 Non ſi tres perſonæ, tres ideo eſſentiæ. Male Arius in divinis, a tribus perſonis ad tres naturas: Male Sabellius, ab una natura ad unam perſonam: male quoque Eutyches, ab una Chriſti perſona ad unam naturam: male Neſtorius a duabus naturis ad duas perſonas duxerunt argumentum: qua de re v. Vigil. *lib. 1. adverſ. Eutychem.* 42 Marius Victorinus *lib. 2. adverſus Arianos*: magnum miraculum: Verbum vos hæreticos facit: vel potius ſonus verbi quod Græce dicitur, & *poſt.* Verbum ὁμοούσιον non eſt obſcurum, nam & nos diximus quid ſignificet. Contrarium non eſt, quia ad ſubſtantiam pertinet, quam omnes fatentur. Sed minus aut amplius exprimit? corrigendum potius quam auferendum. Supervacuum non eſt, quia conſtat ubi & quomodo dicatur. Eſt utile, quia excludit hæreticos, maxime Arianos. Sed nuper eſt poſitum? qui nuper erupit venenata cohors hæreticorum, probatum vero a patribus in Nicæna civitate, & ab Imperatore. 43 Al. οὐσία, ut habet quoque Codex Theodoſ. 44 Hæretici vocentur, non Orthodoxi vel Catholici, & vocentur quidem ab autore ſectæ ſuæ *l. 6. J. de hæret. & Manich.* 45 Vid. quæ ſcripſi *ad l. 8. §. 3. infr. de hæreticis & Manich.* 46 Adde *l. 4. in fin. infr. h. t.* Goth. Ergo qui modeſte ſe continent, nec ſcandalum præbent, proſcribendi non ſunt. *Anſ.* 47 Conſtat hanc legem eſſe tertiam hujus tituli ex Evagrio 1. *cap.* 12. 48 Magiſtratus civilis munus eſt, non tantum Epiſcoporum, ſuis legibus divinas confirmare, *l. 1. ſupr. h. t.* non tamen novas condere *Act.* 4. *v.* 19. 20. *Gal.* 1. *v.* 10. 49 *Porphyrius*, patria Tyrius, Græcus philoſophus, autor Iſagoges quæ Porphyriana dicitur; de quo v. Epiphanium *lib. 1. tom. 2. hæreſi* 51. Aug. 10. *de civit.* 21. *ad fin. libri.* Socratem 5. *hiſt.* 19. Vincentium Lyrinenſem *adverſ. profan. novit.* Ejus tamen encomia v. apud Eunapium *lib. de vitis Sophiſtarum.* Suidam *in Porphyrius.* 50 Socrates 1. *hiſt.* 6. *in* 2. *Conſtantini Epiſtola v. tom. 1. Concil. in Epiſt. Conſtantini ad omnes Epiſcopos*, *l. 6. in fin. J. de hæreticis & Manich. Nov.* 42. *c.* 1. *in fin.* adde §. 3. J. *h. t.* 51 De Neſtorio & Neſtorianis, adde §. 4. J. *h. t. l.* 5. §. 2. *l.* 6. §. 2. *l.* 7. §. 1. *l.* 8. §. 1. §. 4. §. 6. *infr. h. t. l. 6. l. 8. infr. de hæretic. & Manich. Nov.* 115. *c.* 3. *circa finem.* Ruſticum *adverſus Acephalos*: Socratem *lib. 7. paſſim*: Evagrium 1. *c.* 6. & *c.* 12. ubi meminit hujus conſtitutionis: Vigilium 1. & *paſſim* Suidam *in Neſtorius.* 52 Quænam fuerit, dicetur ſuo loco.